

voto successit, ulteriori operationi reservare. Jam elucubrabatur forma typographica tertia ad exprimendum divisorem 17 deserviens, porro distribuebantur madentes adhuc plagulae in cumulos 17 ita, ut quilibet contineret plagulas cum paginis in progressionem differentiae 17, atque in tecto jugi chartaceo foraminibus, trans quae divisor ille in charta sese exprimere posset, scalpro excussis, per omnes plagulas convenientibus locis numerus 17 impressus fuit. Eodem prorsus modo cum divisoribus 19 et 23 processis, qui jam ad confusionem, quae ex congruentia duorum vel plurium numerorum enasci posset, evitandam, rubro colore, quemadmodum in *Missalibus* cernitur, imprimebantur: at ultro labor in tertiam jam hebdomadam sese protendens continuari non poterat, quod et charta toto temporis spatio madens putrescere cepit, et simul dimensiones illius in longum et latum ita increverant, ut ad errores hinc oriundos evitandos et maxima imprimantis attentio insufficientis esset. Hac ratione nactus sum exemplar 1300 foliis compositum, in quo non tantum divisores 7, 11, 13, 17, 19 et 23 pro omnibus numeris inter 1 et  $300 \times 77 \times 1300 = 30030000$  suis in locis inserti comparent, verum etiam 4 posteriores notae omnium numerorum per 2, 3 et 5 non divisibilium inter hos limites cadentium, porro totidem notae termini, ad quem numeri cuiusvis plagulae excurrunt, tandem ordo seu paginae quibus singulae plagulae sese insequuntur, typis expressa habentur.

Pro inserendo convenientibus in locis divisore 29 ab exemplari mendoso fasciam 29 columnarum abscidi, atque iis in locis, ubi divisor ille comparere debet, foraminibus scalpro factis, fasciam hanc retis instar singulis plagulis successive applicavi, atque divisorem hunc in cellulis exsectis, et sic deinceps ceteros divisores ad 503 usque inscripsi.

Quoad altiores divisores assignandos determinavi differentias, quae singulos numeros primos a 503 inchoando intercedunt, atque elucubravi tabulam continentem multipla paria numerorum primorum, quae producto duorum numerorum primorum eo ordine successive adjeci, quem differentiae inventae indicabant: numeros ita oriundos in exemplari impresso deinceps indagavi, ibique numerum primum propositum ceu divisorem inscripsi. Quod haec altera methodus simul media subministrat, errores, si qui per priorem operationem irrepserunt, detegendi, in propatulo est.

Græcii, Idibus Martiis MDCCCXXV.

*A u t h o r.*